

Ye
3654

V, 2.



V I R O
 NOBILISSIMO AMPLISSIMO ATQVE EX
 PERIENTISSIMO
 D O M I N O
 IO. THEODORO
 NIEDERSTADT

HARRHVSA HANOVERANO
 MEDICO HAMBVRGENSIUM

CLARISSIMO
 SVMMOS DOCTORIS IN ARTE
 SALVTARI HONORES

IPSIS KAL. MARTIS

A. O. R. MDCCXXXV

IN CELEBERRIMA

AD ALBIM FLVVIVM ACADEMIA
 MORE MAIORVM SOLEMNI
 COLLATOS

L. M. Q.

CONGRATVLATVRVS

MEDELAM MAGNAM HOMINVM MATREM

CANTAT

ORDO MEDICORVM

VITEMBERGÆ

PRELO VIDVAE KOBERSTEINIANAE

83.





* * * * *
Imae Parenti, quam Cybelen vocant,
Antiquitatum docta volumina
Magnae Parentis nomen amplum,
Et venerabilis, indiderunt.

Nunc praedicatur Magna Deum Parens,
Nunc Magna Mater dicitur hospitem
Terraе, ferarum nunc parentem,
Hanc veteres cecinere vates.

Mater Deorum dicitur, optimo
Partu Deorum splendida. Nam soror,
Coniuxque, Saturni, Deorum
Est genitrix, Dea, plurimorum.

Matrem ferarum dic Cybelen, quia
Fert belluas terrae, atque animantia.
Terram repraesentans feracem,
Frugiferum gremium recludit.

Nec terra tantum fert animalia,
Sed viua nutrit, pascit, alit, fouet,
Partu benigno, nobilique,
Innumeras segetes ministrans.

Foecunda multis, et variis, bonis,
Iam vernat herbis floriferis agri,
Iam procreat semen futurae
Arboris, aut patuli vireti.

Sic magna mater semina gignere,
Queis arua frondent, laetaque gramina
Proferre, Grajorum poetis
Dicitur, unde greges alantur.

Iam, Musa, dicas, cur hominum parens
Idaea mater, maxima dicta sit?

Sincera causam dat vetustas:

Molle dedit medicamen aegris.

Lenimen uſtis artubus adplicans,
Herbaſque laetas, et medicabiles,
Curata queis ingens virorum
Dicitur, et iuuenum, caterua.

Sed nititur res haec Sicula fide,
Quae ſaepe fallit, falſaque ſaepius
Haut nomen ad ſeros nepotes
Conſpicuum dedit, inclytumque.

Decepta crebro priſtina fabulis
Mendacibus gens, credula, poſteris
Commenta vanis, credulisque,
Et ſtolidis animis, reliquit.

Si matris amplae nomine ſplendido,
Magnaeque matris nomine connotant,
Produntque, *virtutem medendi*,
Rem Siculi tetigere vates.

Haec magna mater ſollicita manu
Aegris ſalutem reddidit integram,
Viresque multorum refecit,
Languidiore dolore lapſas.

Prudenter obſtat principiis mali.
Sincera ne pars, tabifica lue
Corrupta morborum, trahatur,
Enſe reciditur illa acuto.

Forti parantur vi medicaminum
Priſci vigores artubus. Hos fouet,
Hos nutrit, ut mater benigna
Progeniem teneram, *Medela*.

Mater, tenella laeta propagine,
Proli ſuae fert apta cibaria,
Et ſingulis unas, et ipſas,
Suppeditare dapes, veretur.

Firmo, ministrat, pectore praeditis,
Succique plenis, forte cibi genus,
Infirmiori sed iuuentae
Lac niueum, roseumque, praebet.

4
Non una semper languidioribus,
Aegrisque, membris fert medicamina
Solers manus cauta *Medelae*,
Conuenientia cuique tradit.

Extraneis nunc corticibus malo
Morbo medetur, nunc patrio lolo
Natis, odoratisque, plantis.
Sic Medicina fit alma mater.

Nosti parentem, *Docte Vir*, optimam,
Magnamque, nosti tot medicaminum
Formas, *potestatem medendi*,
Et reliquas species *Medelae*.

Doctoris amplis dignus honoribus
Summisque, seruo, quod merito damus,
Et pallio cinctus, capesse
Praemia summa Deae, *Medelae*.

Et magna mater nobilium Virum,
Urbs, litteris, et mercibus, inlyta,
Claro Viro plures honorum
Sponte dabit, repetetque, fructus.

Haec blanda mater Te foueat sinu.
At Tu fouebis languida corpora
Hammonis urbis, languidorum
Teque Patrem, Medicumque, dicet

Pon Ye 3654
2^o

ULB Halle
001 500 791 3



sb

v. 178

v. 177

4/11/17





V I R O
 NOBILISSIMO AMPLISSIMO ATQVE EX
 PERIENTISSIMO
 D O M I N O
 IO. THEODORO
 DERSTADT

RIHVSA HANOVERANO
 O HAMBVRGENSIVM
 CLARISSIMO
 DOCTORIS IN ARTE
 VTARI HONORES
 SIS KAL. MARTHS
 A. O. R. CIO IO CC XXXV
 IN CELEBERRIMA
 I FLVVIVM ACADEMIA
 MAIORVM SOLEMNI
 COLLATOS
 L. M. Q
 NGRATVLATVRVS
 AM MAGNAM HOMINVN MATREM
 CANTAT
 O MEDICORVM

VITEMBERGAE

IDVAE KOBERSTEINIANAE

83.

